

TB

01831

ORATIO
DE SUMMI PHILOGOGI IMAGINE

CUIQUE PHILOGOGIAE STUDIOSO SPECTANDA,

QUAM HABUIT

DR. J. WOLTJER.

GRONINGAE APUD J. B. WOLTERS, 1881.

N. 8. 19

ORATIO
DE SUMMI PHILOLOGI IMAGINE

CUIQUE PHILOLOGIAE STUDIOSO SPECTANDA,

QUAM HABUIT

JAN WOLTJER,

D. VIII M. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXXI

CUM IN

UNIVERSITATE LIBERA REFORMATA

QUAE EST AMSTELODAMI

LITTERARUM HUMANIORUM ET PHILOSOPHIAE THEORETICAE

PROFESSIONEM

SOLLEMNI RITU AUSPICARETUR.

GRONINGAE APUD J. B. WOLTERS, 1881.

UNIVERSITATIS HUIUS MODERATORES, VIRI AMPLISSIMI!

CURATORES, VIRI NOBILISSIMI!

DOCTRINARUM ET ARTIUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI DOCTISSIMI!

VERBI DIVINI MINISTRI, VIRI VENERANDI!

UNIVERSITATIS HUIUS ALUMNI ET VOS OMNES, QUI AD HANC SOLLEMNI-
TATEM CONVENISTIS,

AUDITORES OPTATISSIMI!

Homo, ipse inconstans, varius, imperfectus, collocatus est medio in mundo, ubi omnia fluunt, labuntur, nec diutius sunt uno et eodem statu: πάντα ῥεῖ. Nihilo minus id, quod est constans et stabile, perfectum et absolutum, appetimus, sed mente et ratione tantum assequimur, ideas dico atque notiones. Quas inter rerum formas speciesque illa, quae est summae, perfectae, absolutae alicuius rei imago, quam *ideal* barbara voce vocare solemus, maximi est momenti; cum enim a mente animoque concipientis (partim quidem, nam definitur etiam aetate atque regione) pendeat, cultum atque humanitatem hominis saepe ex eius idealibus, sit venia verbo, cognoscere possis. Praeterea autem multum valent ad concitandum, erigendum, moderandum hominem, quin imo, ubi illa desunt, bene non vivitur, neque in vulgaris vitae ratione, neque in litteris.

Mihi munus philologiae in hac universitate docendae suscepturo visum est, auditores optatissimi, non fore ingratum vobis, mihi certe utile, si de summi philologi imagine, quam cuique philologiae studioso

ante oculos versari oporteat, hoc loco dicerem. Oportet, aio; nam illa si deest, vaga vestigia huc illuc flectet, non habebit quod quaerat petatque, suam doctrinam describere atque definire non poterit, neque de ea disputare, nam recte hoc Cicero dixit ¹⁾: „quidquid est, de quo ratione et via disputetur, id est ad ultimam sui generis formam speciemque redigendum.”

Verebar tamen cum quam spinosum esset argumentum vidissem, ne viribus maiora susceperem atque ausis exciderem. Qui curriculum tanti spatii iniit et prima tantum vestigia in eo posuit, longe remotam cernit metam et quasi tenebris obductam, qui maiorem partem iam transcurrit, clariorem illam videt atque distinctiorem. Postquam vero in mentem mihi revocavi illustres philologos idem fere omnes, licet alius alia via incesserit, sibi proposuisse quod peterent, cum intellexi eum, qui viam ab illis munitam sequatur, ab illorum proposito non aberrare, tum animum meum confirmavi ut conarer saltem describere quod in animo esset et qua ratione tractanda mihi videretur philologia antiqua.

De antiqua enim philologia, rerum, in quibus versatur, gravitate et elegantia eximia, nunc sola dicam. Quae ipsa adolescens admodum, sed inter sorores, an filias dicam? maxima, parum cum sit adhuc firma et constans, ut fieri solet adolescentibus, nil mirandum si in ea describenda non omnes eius cultores concinunt, alii ei tribuunt, quod alii demunt, alii alias eius virtutes et laudes celebrant. Nomine sane philologia est antiqua, sed per saeculorum cursus, res quae hoc nomine significabantur, erant variae. Antiquis, quibus prorsus diversa erat disciplinarum ratio, philologus erat ὁ σπουδαίων περὶ παιδείαν ²⁾, quicumque erat „multiplici variaque doctrina” ³⁾. Seneca philologum philosopho opponit; ille est polyhistor, praesertim qui rebus futilibus atque nugis quaerendis operam dat. ⁴⁾

¹⁾ Orat. 3, 10.

²⁾ Phryn. p. 392 edit. Lob.

³⁾ Suet. de Gramm. cap. 10.

⁴⁾ Senec. Lud. V, 4. Epist. XVIII, 5, 23, 30, 31, 35.

Martiano Capellae philologia est

prisci generis doctissima virgo
 conscia Parnaso, cui fulgent sidera coetu:
 cui nec Tartareos claustra occultare recessus
 nec Iovis arbitrium rutilantia fulmina possunt,
 fluctigena spectans qualis sub gurgite Nereus —
 pervigil immodico penetrans arcana labore,
 quae possit docta totum praevertere cura
 quod superis praescire datum.¹⁾

Per totum medium aevum et deinde usque ad saeculum decimum octavum exiens quae Martiano Capellae dea fuerat ancilla facta est: ad altiora studia et artes praeparanda philologia in scholis docebatur. Post renatas litteras multi eximio eius flagrabant amore atque hic illic egregii philologi reperiabantur; sed ratio et disciplina erat nulla, praeterquam quod nonnulli philologiam polymathiam esse opinabantur, alii pro critica arte eam habebant. Qui primus fuit *studiosus philologiae* ²⁾, Fridericum Augustum Wolf dico, idem parens fuit philologiae doctrinae, quam non modo accurate fundavit, verum etiam satis copiose extruxit et suis finibus coercuit. Revera disciplinae discriptio, quam adumbravit, magno laborabat vitio, cum partes omnes non ita unum vinculum contineret, ut alia ex alia esset nexa cumque ea coniuncta, sed via erat monstrata. Multi deinde et summi philologi suae artis rationem exposuerunt, inter quos primum tenet locum Wolfii discipulus Boeckh, qui subtiliter et copiosissime hanc rem tractavit ³⁾. Philologi esse censet *αναγιγνώσκειν τὰ ἐγνωσμένα*, das Erkennen des Erkannten ⁴⁾. Vereor tamen ne in hac

¹⁾ Edit. Eyssenh. I, 22.

²⁾ Hertz. Karl Lachm., p. 176.

³⁾ Encycl. und Methodol. der philolog. Wissenschaft.

⁴⁾ „Sieht man auf das Wesen der philologischen Thätigkeit selbst, indem man alle willkürlich und empirisch gesetzten Schranken wegnimmt und der Betrachtung die höchste Allgemeinheit giebt, so ist die *Philologie* — oder, was dasselbe sagt, die Geschichte *Erkenntnis des Erkannten*, pag. 11 et passim.

definitione quaerenda nimis philosophorum modo ratiocinatus sit, usum contra neglexerit. Equidem puto non satis definire hanc definitionem. Ipse enim Boeckh addit sub voce germanica *das Erkannte* etiam intellegendas esse propositiones et cogitationes (*Vorstellungen*), quales in poesi et arte, strictiore sensu dicta, sint obviae: esse etiam philologi agnoscere quas cognitiones et cogitationes artifices suis operibus expresserint. Quod cum ita sit, videndum est num alii quoque idem faciant. Primum autem, quod Boeckh iam vidit, idem est historici; nemo tamen von Ranke vel Giesebrecht aliosve philologos vocat, nec Bentley, Lachmann, Casaubonum, historicos. Non impune τὸ νομιζόμενον contemnitur: verba valent usu.

Videmus Socratem atque Platonem τὸν κόσμον dicere σοφοῦ τινος δημιουργοῦ . . τέχνημα ¹⁾). Plato autem τόδε δ' οὖν inquit πάλιν ἐπισκεπτέον περὶ αὐτοῦ, πρὸς πότερον τῶν παραδειγμάτων ὁ τεκταινόμενος αὐτὸν ἀπειργάζετο, πότερον πρὸς τὸ κατὰ ταῦτα καὶ ὡσαύτως ἔχον ἢ πρὸς τὸ γεγονός. εἰ μὲν δὴ καλὸς ἐστὶν ὁδε ὁ κόσμος ὃς τε δημιουργὸς ἀγαθός, δῆλον ὡς πρὸς τὸ αἰδιον ἔβλεπεν et quae sequuntur ²⁾). Qui hac ratione rerum naturae studet ut summi opificis cogitationes propositionesque agnoscere cupiat, qui ultimas rerum causas sua mente detegere conatur ³⁾, isne quod philologi esse dicitur facit? Praeterea non omnia, quae sunt cognita et cogitata etiam exprimuntur, quod monere supervacaneum videri possit, sed Boeckh cum id neglexerit, quod philologiae est proprium omisit in definitione: philologia versatur tota in rebus traditis. Num quis putet eandem operam spectatores fabulis impendisse, quas agi videbant, atque nos, qui maximo intervallo temporis distemus et ab illis moribus simus alieni? At tamen definitio, de qua disputamus, etiam in eos spectatores mihi cadere videtur.

Denique non omnia, quae sunt philologi, illa definitio comprehendit: nam cum omnia agnovit ille, quae ab aliis erant cognita et expressa,

¹⁾ Xen. Mem. I, 4, 7.

²⁾ Tim. pag. 28, C.

³⁾ Boeckh. pag. 599.

haec inter se componenda, ex iis alia efficienda, omnia uno vinculo sunt comprehendenda, ut mens animusque totius antiquitatis cognoscatur. Quod si omittitur, illa externarum rerum nascitur contemplatio, quae in essentiam non penetrat quamque Boeckh Batavis philologis magnis crimini dat ¹⁾, nec tamen ipse in definitione cavet.

Quae omnia cum reputamus verius, ni fallimur, philologia dici possit doctrina, quae versatur in natura, mente, animo antiquitatis cognoscendis, qualia in operibus, quae aetatem tulerunt, se aperuerunt. Sic nulla pars omittitur, neque architecturae, neque artis fingendi et pingendi opera, omnes partes uno vinculo continentur, naturalis nota nostrae doctrinae, quippe quae versetur in operibus praeterito tempore editis cognoscendis, integra servatur. Quod porro pertinet ad rationem, quae philologiae cum historia intercedit, eam hanc esse putamus.

Historia temporum et aetatum ratione habita enarrat fata et progressus populorum, operum artis et litterarum, aliarum rerum, ut appareat quo modo quod sit, factum sit ex eo, quod praecesserit; philologia autem singula opera mentis cognoscere studet ut inde quae sit mens scriptorum, aetatum, totius populi, appareat. Sic historia philologiae ope carere non potest, cum ad progressus populorum describendos opera mentis non minimi sint momenti, nec tamen philologia sine historiae cognitione florere potest, cum quod sit pendeat ex eo quod praecesserit. Praeterea cum utraque in praeterita tempora inquirat et quae tradita sint investiget, ratio ac via, quas sequuntur ad verum inveniendum, fere sunt similes.

Ex ipsa notione philologiae apparet tres partes in ea inesse. Primum enim quoniam antiquitas cognoscenda est e monumentis, sive haec sunt opera arte facta, sive libri manu scripti, inscriptiones, nummi, haec monumenta sunt investiganda, colligenda, cognoscenda, describenda, unde natae sunt archaeologia, bibliographia, epigraphica,

¹⁾ Pag. 47.

numismatica. Palaeographia quoque huc referenda est, cum ad modum traditionis non ad tradita pertineat.

Sunt qui hanc primam partem omittant, cum a reliquis duabus non sit separanda¹⁾. Nobis vero natura et historia horum monumentorum tanti esse momenti videntur ad antiquitatem recognoscendam ut nobis sint quasi corpus et ea, quae contineant, mens et animus. Ut autem in psychologia propria est pars, quae corpus describit quatenus animus cognoscendus ex eo pendet, sic monumentorum descriptio propria ac separata pars est philologiae.

Altera pars versatur in rebus traditis. Primum autem locum tenent Grammatica et Lexicologia, quae, ipsae traditae, ad res tradendas maxime sunt necessariae. Ipsi antiquitati pars formalis, nobis eorum lingua est partis materialis. Tum ut opera mentis quotnam, qualia, quando sint edita cognoscatur, Historia litteraria et Historia artium sunt discendae ea ratione, ut primum artis oratoriae et poeticae, deinde artis gymnasticae, musicae, orchesticae, tum architecturae, artis fingendi et pingendi historia narretur. Denique Historia philosophiae et singularum doctrinarum est investiganda. Quae praecedunt opera mentis et ingenii strictiore sensu, ut ita dicam, continent, sed ut ea cognoscamus et intellegamus antiquitatis natura discenda est ex institutis et moribus et quae ampliore sensu etiam eius opera dici possunt. Omnia haec spectant ad res sacras, quo referuntur Mythologia et Religio, ad res publicas, quo etiam pertinent Historia politica cum Geographia et Chronologia, ad res privatas.

Hisce duabus philologiae partibus opponitur tertia: illae praebent materiem cognitioni, haec cognoscendi rationem docet et tripartita mihi videtur, ut contineat artem criticam, artem hermeneuticam et eam partem, cui philosophiae antiquitatis nomen dare velim. De tribus hisce partibus postremis, cum in iis praecipue versentur philologi studia, cum ex exercitatione in hisce artibus omnino pendeat

¹⁾ Boeckh. l. l. 67.

utrum vere philologus dicendus sit neene, nobis in primis est disserendum. Quod prius quam aggredimur moneamus totam illam partitionem, quam supra exposuimus, magis animo cogitari quam revera esse: nulla pars ullo modo per se esse potest, cum omnes artissime cohaereant aliaque ex alia pendeat eamque regat. Philologia est simplex quoddam et unum: partes, quas distinguimus, sunt quasi membra unius corporis. Quodvis opus ex antiquitate traditum ab eo tantum plane cognosci atque intellegi potest, qui totam antiquitatem cognovit atque intellexit. Quod cum constet inde iam apparet, quam ingens sit officium philologi, quam remotum id quod petendum sibi proponit. Etiam magis idem docebimur cum singula eius officia tractaverimus.

Primum autem dicamus de arte critica, non ea, quae res traditas iudicat, id est opera ipsa ab antiquis edita, sed traditionem.

Ut statua antiqua cum e terra effoditur situ et luto squalet nec agnoscitur antequam remota sint illa atque deterisa; interdum autem ita est arrosa, ut pristinus splendor restitui non possit, tam mutilata ut integra forma nunquam reditura sit; cum autem est purgata et quam optime potest ad pristinum statum redacta, tum demum, omnes lineas ductusque accurate observando et totum sub unum aspectum subiciendo inquirendum est in mentem artificis, quid repraesentare, quid exprimere voluerit atque inde conicere possumus quid interierit, quid supplendum sit, num forte aliqua pars aliena manu in amissae partis locum sit afficta, — sic praecipue in „re litteraria, afflicta atrocitate licentiaque temporum atque aegre admodum ex ingruentis barbariae diluvio caput fessum exserente”¹⁾ opus est menda, errores, incrementa auferre, antequam veram et sinceram mentem scriptorum cognoscere possimus. Est haec sane ars non solum difficillima, verum etiam ingrata.

Difficultatem autem ii gravissime sentiunt, qui eius peritissimi

¹⁾ Bentl. praef. ad Hor.

habentur. „Diffusa illa lectio et eruditio, ait Bentleius ¹⁾, veterisque totius Latii et Graeciae notitia, quae in illa studiorum materie totum constituit, in hac Nostra partis dumtaxat infimae et initiorum apparatusque locum obtinet. Omnia quippe tibi ista in numerato esse prius oportet, quam de quovis Scriptore sine dementissimae temeritatis nota censuram agere audeas est et peracri insuper iudicio opus; est sagacitate et ἀγχινοία; est, ut de Aristarcho olim praedicabant, divinandi quadam peritia et μαντικῇ: quae nulla laborandi pertinacia vitaeve longinquitate acquiri possunt, sed naturae solius munere nascendique felicitate contingunt. Inde est, quod, cum in ceteris disciplinis eventus laboribus votisque respondeat, contra in hac critices palaestra, ex tam multis, qui libris studiisque insenescunt per integram vitam hoc saxum volverunt, exstiterunt oppido pauci, qui speratum sibi apud posteros nomen nancisci valuerunt.” — Ita Bentleius de difficultate artis criticae. Sed etiam est ingratiissima. Legi aliquando, nescio ubi, naturam tam parum certam rationem consiliumque inire ad efficiendum aliquid, ut sit ac si quis leporem venans, ab omnibus partibus campi sexcentas glandes iaculetur ut auritam interficiat bestiolam. Nullus dubito quin, qui id scripserit, myops fuerit et viri κριτικώτατοι me stultitiae merito accusarent, si eorum rationem cum naturae illa compararem; cum vero reputamus quot loci tententur et saepius depraventur pro uno qui re vera sanetur, interdum non possumus non illam venationem recordari. Quod si nos, qui huius artis initia tantum teneamus, id putaremus, nihil esset ad rem, cum imperitia posset in causis esse, sed illustrissimi philologi non aliud censebant. De summo critico Bentleio summus criticus Lachm. scripsit, ei qui denuo Horatium recensere vellet, maiorem partem remotis Bentlei coniecturis, paene nihil faciendum restare ad textum constituendum ²⁾. Alius, Boeckh dico, putat inter centum coniecturas criti-

¹⁾ l. l. pag. XIV ed. tert.

²⁾ Hertz. Lachm. pag. 190.

corum, non amplius quinque veras esse ¹⁾, et alibi, locutus de Atheniensibus Lyeurgos ferente vetantibus in summorum poetarum tra-goediis quicquam mutari, haec addit verba: „velit quis omnia veterum scriptorum opera praestantissima simile interdictum hodie quoque tueri” ²⁾.

Artem criticam autem pro ingenti opera, quae ei impenditur, tam sterilem esse non is mirabitur, qui reputet magnam partem eorum, qui hanc artem exerceant, huic difficili officio impares esse, qui vero sint periti saepe in pruritum emendandi incidere. Ut de mortuis tantum dicam ipse Bentleius praesertim in Manilii editione huius generis est exemplum. Criticus imprimis sibi temperare debet.

Ἄριστος κριτὴς ὁ ταχέως μὲν συνιεῖς, βραδέως δὲ κρίνων.

Nihilo minus quamvis difficilis, quamvis ingrata sit haec ars, neglegi nullo modo potest; praeterea hae difficultates non omnes partes aequae premunt; inquisitio in operum auctores et faciliior saepe est et feracior. Dies diem docet in arte critica quoque, cum magnam quidem partem doceri possit. Re vera Bentleius merito censet ad hanc artem exercendam divinandi quadam peritia opus esse, quae nulla laborandi pertinacia vitae longe longinquitate acquiri possit, sed tamen id petendum est, ut fines huius divinationis, ut ita dicam, angustiores fiant, nam quo magis quaestio et emendatio certam rationem ac viam sequuntur, eo magis persuadent et fidem faciunt. Semper tamen divinationi sua provincia manebit et felicissimi erunt critici, qui divinandi erunt peritissimi, sed semper etiam tenendum erit hanc divinandi peritiam partim sane esse donum naturae ac munus, partim assidua exercitatione esse parandam.

Quamquam hodie quoque multa, quae ad maturitatem nondum pervenerunt, proferuntur, tamen, cum identidem libri manuscripti, qui diu latuerint, in lucem prodeant, cum omnes paene bibliothecas facile adire liceat, cum in rationem et affinitatem, quae codicibus intercedant,

¹⁾ Encycl. pag. 175.

²⁾ l. l. pag. 187.

accurate inquiratur, cum quae cuiusque scriptoris sermonis sint propria accurate et diligenter investigetur, cum clara lux nonnunquam affulgeat ex illa doctrina, quae linguarum cognationem et originem cognoscere studet, cum praeterea ἀκριβεία peritissimi utantur veterum diligentiae non postponenda, — hodie magis quid sit verum, quid falsum, quid consequi possimus, quid relinquendum sit, cognoscere valemus; et quamquam postea apparebit multas res, quae hodie constare videantur firmo fundamento carere et multa quae nunc reprobentur nihilo minus esse probanda, tamen investigationes et quaestiones innumerae atque accuratissimae non irritae fuerint. Hisce laborum praemiis excitatus firmo animo philologus id petere pergit, quod summum sibi proposuit: opera antiquorum mendis omnis generis purgare, donec in eam formam sint restituta, qua ab editoribus sint concepta et edita. Non ignorat se prae praesidiorum inopia et imbecillitate hominis naturae plane et certe hoc consequi non posse, quam ob rem id primum, quod attingere potest, appetit, ut textus quam veterrimus et optimus e codicibus potest erui, restituatur; deinde autem certa ratione derivando et coniiciendo interdum ei contingit, ut longius queat progredi. Quousque? Saepius ad prima saecula post Christum natum, interdum ad postrema saecula ante Christum natum. Ad ipsam tamen scriptoris aetatem penetrare finis manet, quem sibi proponit.

Cum autem criticus id, quod voluit, perfecit, ut opera habeamus qualia aequales scriptoris legerint, restat ingens officium. Quivis enim scriptor vel artifex suis aequalibus sua fecit opera. Si igitur plane ea intellegere volumus apti simus natura et mente necesse est, qui locum obtineamus illorum, quibus opera illa sint facta; interpretatione igitur opus est. Haec autem interpretandi ars primum est philologi officium et cum critica arte vinculo artissimo coniuncta. Critico enim, emendatis quae quasi in superficie iacent et continuo percipiuntur ab eo, qui quo modo antiqua opera sint tradita pernovit, vitiis, penitus in mentem scriptoris penetrandum est, cum plerumque menda alte insederint: qui sanare vult, corpus sanum cognosce debet. Medici autem officio critici officium eo est multo difficilius, quod cor-

pora, quae ille sanat, ad unum omnia exemplum sunt facta, sed scripta, licet ad genera quaedam referri possint, tamen multum singula inter se differunt. Vere criticus igitur artis interpretandi peritus esse debet, sed etiam interpretis artis criticae, quia opera omnibus partibus sana non reperiuntur: altera ars alteri est praesidio.

Interpretis igitur cum sit mentem scriptoris iis, qui aliquanto spatio temporis et loci ab eo distent, ita interpretari, ut penitus cognoscatur, necesse est noverit penitus cum aetatem, qua scriptor, quem interpretatur, vixit, quia cuiusque natura et mens et animus partim quidem ex ea pendent, tum quae sint scriptoris propria; utrumque autem hauriendum est ex historia et praecipue ex scriptis aequalium et ipsius scriptoris. Deinde cum lingua quasi corporet cogitationes, grammatices innixus fundamento ex ipsis verbis eorumque coniunctione interpretis sententiam scriptoris eliciet. Quot tamen quantaeque difficultates, quot quantaeque pericula hic etiam latent! In singulorum vocabulorum significatione quanta varietas pro aetate, pro scriptore, pro operis genere, pro coniunctione cum aliis, ut ex ingenti numero rationum paucas tantum referam. Grammatica quae comparativa dicitur praesertim vetustissimis antiquitatis cum Graecae tum Latinae scriptis intelligentis haud spernendum attulit praesidium, sed in ea quoque re periculum instat hoc, ne, etyma vocum et origines sectantes, obliviscamur verba usu valere. Praeterea summa verborum vi non aequat sententiam, quae etiam collocatione, nexu, genere dicendi, totius operis natura definitur, interdum etiam pronuntiatione, ut cum εἰρωνικῶς quis loquitur. —

*Sed huius loci non est omnia enumerare, quae interpretis artem difficilem reddunt, quin etiam, si ad perfectam artem tendit, talem, quae longe hominis vires superet. In ea quoque peracere iudicium, sagacitas, vasta eruditio, labor improbus non omnia valent: est animorum consensus quidam, quo ducti alii facile intellegunt, quod aliis crassis manet tenebris obductum.

Nostra aetate ars interpretandi quoque iustissimos egit triumphos: licet non tot tantasque reportaverit victorias, quot quantasque soror

eius, ars critica, quae maiore numero gaudeat cultorum, saepius tamen apparuit quam male ii agant, qui criticam artem praepropere exerceant, obliti hac ibi tantum utendum esse, ubi illa se imparem esse confessa sit. Ut unum, sed illustrissimum afferam exemplum: quid valeat interpretatio, quanti sit aestimanda, sed etiam quantos labores, quanta studia requirat, luce clarius ostendit egregium opus, quod Guilielmus Fox scripsit de Demosthenis oratione *περι τοῦ στεφάνου* ¹⁾. Tali interprete si utimur, consilium et rationem scriptoris perspicimus, pulchritudine operis delectamur, cum partium omnium modum, nexum, rationem videamus, vim et suavitatem dictionis sentiamus, artem admiremur. Equidem nunquam melius intellexi interpretis officium revera esse artem, et eum solum, qui amore quodam eius ductus ad opus interpretandum accesserit et animo cum auctore sit coniunctus, recte hoc officio posse fungi.

Tres philologiae partes, de quibus disputavimus et quarum primam in rebus traditis versari et materiam praebere diximus, alteram esse artem criticam, tertiam artem interpretandi, quae ambae operam continerent, quam philologus poneret in illa materia cognoscenda, non totum philologi officium complectuntur. Omnibus enim operibus, quae ex antiquitate sunt tradita, quamquam duorum sunt populorum, una tamen nota est impressa, cum distinctum quid ac proprium sit antiquitatis ingenium et natura. Quae cum haec opera non solum notaverint, verum etiam in civitate, in vita, in religione, in moribus et institutis se expresserint, ex omnibus hisce sunt cognoscenda. Haec igitur disciplina tota nititur in iis, quae praecedunt eamque florem dicere velimus totius doctrinae, vel philosophiam antiquitatis. Ut enim philosophia num sint et quae sint rerum origines, nexus, fines investigandum sibi proponit, sic haec philosophia antiquitatis intellegere conatur, quae sint haec natura et ingenium antiquorum, unde sint orta, quomodo rerum et mentis progressus ex illis penderent et simul in illa formanda valerent, quae esset ratio antiquitati cum ceteris populis, cum aequa-

¹⁾ Lips. Teubn. 1881.

libus tum posteris. Itaque ingens hoc quoque philologi officium atque tale, ut, nisi philosophia quaedam nativa sit in mente eius, recte ac rite id exequi nequeat; nam qui ea caret quamvis sit diligens, doctus, acutus, in antiquitatis ingenium nunquam penetrabit. Accedit quod, ut in philosophorum quaestionibus usu venire solet, verum tam prope abest a falso, ut omnino falsum saepe sit quod veri speciem prae se ferat. Hic praecipue adagium illud valet: cum duo faciunt aut dicunt idem non est idem. Inde multi errores. Sic doctus Gallus ille, Havet dico, in opere quod scripsit de Christiana religione eiusque originibus¹⁾ neque hanc Christianam religionem eiusque principium cognovit neque principium et mentem antiquitatis, sed cum demonstrare ei in animo esset Christianam religionem originem duxisse magnam partem e Graeca antiquitate, hoc proposito ante oculos versante e Graecorum scriptis quotquot loci conspirare videbantur cum dictis e Christianorum scriptis sacris eos collegit et cum hisce composuit. — Haec ratio vero philologo est indigna; altius ei res repetenda est. Primum arte critica et interpretandi adhibitis singula scripta et artis opera penitus cognoscere studet et materiem respiciens et formam, ut scriptorum et artificum, qui praestantissimi inter populares suos extiterint, mentem animumque cognoscat nec non rationem, quae iis intercederet cum populo; deinde ex hisce scriptis, et qui reliqui sunt fontes civitatis, religionis, vitae cognoscendarum, totius principium ac fundamentum elicit; tum demum temporum et aetatum ratione habita ex hisce saxis redivivis denuo construit aedificatque templum antiquitatis, quo nullum unquam pulchrius homines mente conceperunt.

In summo philologo fingendo talem informavi, qualis nemo unquam fuit. Non enim quaerendum est, quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil esse possit praestantius, quod in perpetuitate philologiae nunquam, in aliqua autem parte eluceat aliquando, idem apud alios densius, apud alios rarius. Duas autem res primo loco posuimus: quam ingens esset philologi officium et quantopere e facultatibus, quas natura ei dedisset,

¹⁾ Le Christianisme et ses origines par Ernest Havet, IIII voll., Par. 1873 seqq.

penderet utrum quid valeret necne. Miro vidimus omnes philologiae partes inter se vinculo coniunctas esse, nullam reliquarum ope posse carere; neminem, nisi rerum antiquarum cognitione esset imbutus, nisi interpretandi arte esset peritus, nisi antiquitatis mentem animumque intimum nosset, criticam artem quemadmodum oporteret posse exercere; interpretari bene qui vellet, artem criticam et reliquas philologiae partes nullo modo posse negligere; naturam et ingenium antiquitatis non posse cognosci, nisi ab eo, qui totam materiam, quae tradita esset, arte critica et arte interpretandi adhibitis, perscrutatus esset. Animi facultates autem, quibus philologus praeditus esse debet, quam maxime sunt diversae: critico opus est animo suspicaci, simul atque aliqua res occurrit, quae abhorreat a vulgari ratione, subdiffidere coepit; interpreti contra opus est animo candido, diligit scriptorem, quem interpretatur, cum pietate quadam ad eum accedit; memoria tenaci philologo est opus, cum tamen a rerum contemplatione alienus esse non debeat; in singula, parva, minuta ei est inquirendum, non minus quam in magna et generalia.

Quamquam autem nemo unquam fuit neque erit talis, qualem summum philologum adumbravimus, tamen philologo eius imago perpetuo ante oculos est habenda. Prout enim aut ad criticam artem exercendam, aut ad interpretandi artem, ad res colligendas atque disponendas aut ad philosophorum contemplationes magis natura sumus apti, cavendum, est, ne nimis assiduum demus usum illi parti, ad quam praecipue apti esse nobis videamur, reliquas neglegamus. In philologo, ut in operibus, quibus cognoscendis operam dat, harmonia est summa virtus, omnia apta sint inter se et convenientia necesse est. Praeterea cum quod unusquisque efficere possit, particula sit admodum minima totum si respicimus, utile est semper vinculum attendere, quod partes omnes coniungat; nam si, ut ita dicam, membra nos esse sentiamus unius corporis, nil est desperandum, cum vel minimum membrum ad augendum totum corpus sit utile ¹⁾.

¹⁾ Immer strebe zum Ganzen und kannst du selber kein Ganzes werden, als dienendes Glied schliess an ein Ganzes dich an! Schiller.

Denique etiam si reputamus nos ne unius quidem scriptoris vel artificis opera plane et absolute cognoscere posse, sed hominem omnino γινώσκειν ἐκ μέρους, tum etiam utile est illam imaginem summi philologi spectare, ut finem habeamus, quo tendamus, qui labores nostros moderetur, et hoc nos consolatur, in praestantibus rebus magna esse ea, quae sint optimis proxima.

Iam restat ut de gravissimo dicam loco, qui, etiamsi minus ad philologiam attineret, ut nonnulli aiunt, certe tamen ad philologum attinet. Hic enim non potest non quaerere quanti antiquitas nobis sit aestimanda. Haec autem quaestio ipsa nos ducit ad alteram, quae sit ratio Christianae religioni cum Antiquitate. Boeckh¹⁾ sane ait nihil esse Christianae conscientiae cum philologia, et alii multi idem censent, sed haec opinio inde nata est, quod ille pluris facit philosophiam quam Christianam religionem²⁾; philosophiae esse aliquid cum antiquitate nullo modo ille negat. Praeterea antiquorum humanitas cum summa humanitate est comparanda. Sed unde haec summa humanitas est petenda? Christiani respondent e Christo, non ex hominibus, quales nunc sunt: πάντες γὰρ ἡμαρτον καὶ ὑστεροῦνται τῇ δόξῃ τοῦ Θεοῦ. Perpetuo redit haec quaestio: τί ὑμῖν δοκεῖ περὶ τοῦ Χριστοῦ; Qui eum reiciunt, non habent eum, quem ipse se esse dixit, neque se ipsi, quales eos ille descripsit; qui censent nil aliud homini opus esse, nisi ut suam naturam et ingenium excolat, iis eadem via, qua antiqui perfecti hominis imagini se exaequare studebant, pergendum est. Nam inter omnes, penes quos de hac re iudicium est, constat, quidquid homines in civitate, in litteris, in artibus, in religione possint per se et ex se, id antiquos aut plane et absolute aut in principiis effecisse atque prompsisse. Facile intellegimus eos, qui ita iudicent, ardenti flagrantibus desiderio id gestire, ut vita fortunaeque, qua antiqui fructi esse dicuntur, redeat³⁾.

¹⁾ O. l. pag. 29.

²⁾ Pag. 71.

³⁾ Schiller, die Götter Griechenlands.

Natura hominis delectatur hoc mundo et rebus, quae cernuntur, fiduciam collocat in se, agit et versatur in praesentibus, et brevitatis vitae cum fit memor fama apud posteros fruenda se consolatur et gaudet, deos sibi fingit, qualis ipsa est, felicitatem et summa bona quaerit in hac vita. Summa humanitas ponitur in eo, ut felix homo hac sua vita gaudeat ¹⁾).

Qui autem ita opinentur, eos antiquitatem intellegere non posse contendimus. Valetudo atque sanitas mentis, quas illi in antiquis mirantur specie tantum adsunt, non re, ex arte antiquorum ortae sunt, non ex vita. Ea ratione non interpretari possunt res sacras antiquorum, praecipue eorum sacrificia et mysteria, neque doctrinas philosophorum, quae potius probant, quod Augustinus scripsit: „Creasti cor nostrum ad te et inquietum est in nobis, donec requiescat in te.” Videant praeterea velimus quo cultus hic humanus redeat. Impedire non potuit, quominus magnificum illud templum corrueret: libertas evanuit, mores corrupti totam civitatem solverunt; vetus religio interiit et philosophorum doctrinae ad vulgus corrigendum nihil valebant aut deterius faciebant. Nostra aetate etsi sunt, qui putent, antiquitatem, modo suo eam uti ingenio fatum sivisset perpetuo, se ipsam correcturam fuisse ²⁾), tamen historia docet quanti tales opiniones sint habendae: populi tam enervati atque effeti non magis reviviscunt quam homines.

Denique illa humanitas, cum omnibus demum animi et mentis viribus et facultatibus exultis ab illis quibus ingenium sit excelsum et otium acquiri possit, hominem superbum facit et fastidiosum, parum curantem salutem vulgi, quod contemnat. Sic Platonis optimus homo adversus vulgus se habet. „Ex his igitur paucis is qui gustat et gustavit quam suavis sit res atque beata (philosophia), multitudinis vero satis perspexit insaniam, et intellegit, nullum quicquam sani in negotiis civilibus peragere, nec adiutorem esse quocum aliquis ad iustorum defensionem aggressus servari possit, sed veluti in bestias hominem incidentem,

¹⁾ Goethe, Winckelmann, Antikes, Heidnisches.

²⁾ Havet. III, 486, 87.

quia neque una iniuste facere velit neque unus omnibus saevis queat resistere, priusquam civitati vel amicis utilitatis aliquid praebeat, pereuntem inutilem tam sibi quam ceteris fore: haec omnia secum reputans quiescit suamque rem curat, quasi in procella pulveris ac grandinis a vento exagitatae sub murum secedens et reliquos videns licentiae a lege aversae plenos, satis habet si ipse vacuus ab iniustitia et impiis factis hancce acturus sit vitam exque ea praeclara cum spe laetus ac placidus excessurus" ¹⁾). Non aliter censet Aristoteles ²⁾): „Multitudinem autem videntur non posse ad honestatem ac probitatem excitare; neque enim ii sunt, qui pudore ducti oboediant sed timore, neque a pravis abstineant, quia turpia sint, sed propter poenas. Nam cum vitam suam animi motibus moderatur multitudo ac dirigit, tum suas voluptates eaque quibus hae pariuntur, consecatur; dolores eis contrarios fugit; honesti autem vereque iucundi ne notionem quidem unquam animo depinxit, utpote quod nunquam degustarit."

Eos igitur non sequimur qui veram humanitatem ex antiquitatis studio petendam esse dicunt. Summam humanitatem corporatam videmus in Christo, qui in se suis, palmitibus in vite, etiam veram humanitatem restituit. Hic Iudaeorum nationem, nulla doctrina, nullo ingenii cultu excellentem, sed veram Dei cognitionem, quae servavit atque tradidit et Graecos, qui sapientiae studebant, sed per sapientiam non cognoverunt Deum, hic utrosque fecit unum, non coniungendo quae erant alienigena, sed condens hos duos in se ipso, in unum novum hominem.

Ideo christianitas est vera humanitas, non excelsis tantum ingeniis apta, sed omnibus, cum non posita sit et nitatur in doctrina, sed in facto, cum vera, simplex sinceraque sit ³⁾). Non opus est igitur renata

¹⁾ Polit. VI pag. 496.

²⁾ Ethic. Nic. X, 10, 4.

³⁾ Cf. quae Petrarca scripsit: Die Wiederbelebung des classischen Alterthums von Georg Voigt, 2te Aufl. pag. 15, 24 in fine, 30, 35: er aber halte das für elendes Zeug, was ohne Anstrengung des Geistes verständlich sei, von der grossen Masse wolle er lieber nicht verstanden als gelobt werden, 96, 120—128.

⁴⁾ Cic. de Off. I, 4, 13.

(id est degenerata) Christiana relegione ea ratione, quam Boeckh ¹⁾ poscit, ut se coniungat cum pura humanitate atque in eam se commutet, sed recte Curtius ²⁾ iudicat Christianitatis esse evincere quae ei repugnent, etiam ea, quae in nobis restent vestigia cultus veterum gentium, non ea tamen ratione quasi spiritus sint impuri exterminandi ut Dei spiritus locum obtineat. Sed cum perspeximus per quos gradus historia generis humani progressa et quomodo alius alium secutus sit, tum agnoscimus hoc in primis nobis esse agendum, ut quae in Christiana religione et in antiquorum cultu sibi sint opposita in nobis reconciliemus.

Idcirco quamvis Christianitatem antiquorum humanitati anteponamus, tamen nihil demimus huic neque dignitatis neque gravitatis. Historia gentium eadem incedit via qua historia singularis hominis. Ut autem virum decet quod verum et bonum, simplex et pulchrum pueritiam eius ornaverit servare atque eorum meminisse, nec tamen vires et facultates, prudentiam et sapientiam provectioris aetatis non pluris aestimare, eadem ratione nobis antiquitati studendum est. Noster etiam animus incalescit cum in Graecorum et Romanorum vita rebusque iuvenilis ingenii vim contuemur; huiusque effigiem in eorum factis, institutis, studiis moribusque conspiciendam nobis proponimus, et persuasum est nobis fore ut quam diu homo suam naturam atque historiam cognoscere studeat, quam diu in origines et progressus societatis, litterarum, artium, religionis inquiratur, quam diu puerorum atque iuvenum ingenia rite ac recte erudiantur et excolantur, tam diu philologiae in doctrinarum numero suus locus maneat. Propter certum et immutabile summi Dei consilium Antiqui in vita ornanda, in civitate condenda, in iure exercendo, in artibus denique et litteris colendis multa effecerunt, quibus Deus uti voluit ad suum regnum aeternum propagandum, ut in iis quoque suam gloriam exornaret.

¹⁾ l. l. pag. 71.

²⁾ Curtius in Gelz. Annall. Aug. 1858, pag. 85.

Moderatores huiusce Universitatis, viri amplissimi! Ab optimis, carissimis parentibus inde a puero instituto doctrina Ecclesiae Reformatae illa Ecclesia semper mihi cara fuit eiusque doctrinam veram habui et nihil magis exoptavi quam ut laete tandem renasceret et revivisceret. Hoc erat in votis, cum patriae salutem inde orituram esse et litteris emolumentum existimarem. Non enim dubitabam quin tum etiam valeret, quod de Reformatis viris gravibus saeculi decimi sexti testatur Bernaysius, eos omnes tum id petiisse ut bonas litteras cum rebus sacris coniungerent¹⁾. Cum igitur vos mihi munus hoc gravissimum mandavissetis, facere non potui, quin acciperem. Multae tamen et mihi explebant animum curae et hoc praecipue verebar ne impar essem tanto muneri. Sed vos, quoniam ausi estis id mihi mandare, periculum in vos recepistis; ego pro mea parte Deo optimo maximo adiuvante omni ope enitar, ut faciam quod debeam non solum, sed quod litterarum amor et causae gravitas me iubeant.

Curatores viri nobilissimi et illustrissimi! Vestris suffragiis designatus et amplissimis moderatoribus commendatus sum ad hanc cathedram obtinendam. Gratias ago vobis iustas pro fiducia, quam in me collocastis. Quam ingens haberem, quam grave philologi officium audivistis. Mea me vetat mediocritas sperare fore ut unquam inter philologorum praestantium, quos patria et tulit et fert, numerum, locum non nimis ignobilem obtineam, sed amor iuventutis non minus quam amor litterarum ardore me afficiunt, ut ingenii facultates qualescumque mihi Deus donaverit, impendam in iuvenes bonis litteris erudiendos.

Vobis, professores, viri clarissimi, quos iam collegas appellare mihi licet, gratias refero meritis pro benevolentia et humanitate, quibus me recepistis. Pergite, oro, me dignari vestra amicitia, vestra experientia et doctrina mihi praelucere. Fateor maxime me incitasse ad hoc munus suscipiendum quod sciebam me de rebus, quae summae merito habentur, unum idemque vobiscum sentire. Hoc vinculum perpetuo

¹⁾ Scalig. pag. 109.

nos iungat, ut coniunctis viribus Deo annuente promoveamus hanc Universitatem, augeanturque eius decus et gratia apud Deum et homines.

Vos denique, Universitatis huius alumni, pauci estis, sed numerus iam crevit et crescere perget. Non est quod vos moneam, quantopere e vobis quoque pendeat, e vestra industria et indefesso labore, incrementum et decus huius scholae! Audistis Reformatos olim bonas litteras cum rebus sacris consociari studuisse. Hos sumite exempla!

Equidem vobis non demonstrabo quanta utilitas quanta suavitas sint in antiquitatis cognitione et praestantissimorum veterum scriptorum lectione. Abunde hic locus atque nimis fortasse iam est tractatus. Ipsi si diligenter et assidue eos legetis, fructus laetos et uberes per totam vitam inde capietis, ornabunt ingenia, delectabunt animos vestros. Sed patientia vobis opus erit: hi fructus non uno die maturescunt. Vehementius saepe commovebar audiens senes multa iucunde narrantes de pretio horum studiorum et gaudio quod praebeant. Itaque gnaviter in ea incumbite. Ego pro mea parte iucunda et grata vobis facere conabor, commodis vestris inserviens.

